

LXX. hebdomadibus Danielis Calovius Bibl. Illustr. eumq; secutus B. Pfeifferus in Dub. vex. ad h. l. Quod autem ad observationem Osiandri, Chemnitio plurimisqve post eum probatam, spectat, ea à Dan. Heinſio in Aristarcho sacro in tantum quidem recipitur, ut Joh. V, 1. per vocem festi Pascha intelligi concedat; verummodus probandi ex Joh. IV, 25. planè ab eo rejicitur, statuendo: id quod l. c. refertur, *quindecim vel circiter ante Pascha diebus* contigisse, ob Christi defatigationem & sitim ibidem memoratam; & *ἡμέρας* *ἑξήκοντα* dici tempus, in quo duo festa, Pascha & Pentecoste, concurrerent, quorum priore messis initium sumebat, posteriore finem. Verum B. Glassius in Grammat. S. p. 445. sententiam illam Heinſii non tantum recenset, sed etiam rectè refutat; quia sanè nemo mirabitur, post itineris, imprimis pedestris, molestiam, tam defatigationem quam sitim sequi posse, in regionibus imprimis calidioribus, & iste, quem Heinſius affert, vocis *ἡμέρας* apud Judæos tum temporis usus ex Auctoribus probari nequit, cum è contrario ipse textus distantiam messis haud ita parvam suadeat, dicendo: *nonne vos dicitis, adhuc ἔτι* (quod certe in plurimis exemplaribus adest) *quadrimestre tempus superest, & messis erit*; sicut & in sequentibus oppositio videtur fieri inter messem illam naturalem, quæ adhuc procul absit, & spiritualem, quæ sit maximè propinqua, quando hæcce legimus: *spectate regiones, iam albæ sunt ad messem*. De messe enim spirituali sermonem esse in his verbis, clare indicat sequens v. 36: *Qui metit, inquit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam*. Et hisce suppositis firma stat Paschatis ex adducto capite IVto. probatio.

Questio 2. Quare LXXviralis versio tantopere à textu hebræo recesserit, ut omissis ipsius verbis, aliena quædam inferuerit? R. Non equidem ignoro, quòd versio memorata in tanto apud Veteres quosdam, Papiam Ducem secutos, fuerit æstimio, ut eam ex Divina inspiratione profectam existimaverint; imò, quod ex recentioribus Isaacus Vossius in peculiari Dissertatione de LXX. Interpretibus versionem illam, tanquam minus corruptam, ipsi Hebræo Veteris Testamenti codici prætulerit, sententiam